TENTAMEN MEDICUM DE ASCITE,

QUOD Deo duce & auſpice Dei-parâ, in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur,

AUCTOR,

PETRUS BENZIN, è loco Saut de Navailles, Diœceſis Aquenſis apud Vaſcones, Liberalium Artium Magiſter, & jamdudùm Medicinæ Alumnus, die 12â. menſis Februarii anni 1775.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

Chronicis quidem morbis ſui ſunt quandoque paroxiſmi acutorum æmuli, præcipuè ubi jam fatum, miſero imminet ægro, & acutorum aliquandò multi in chronicos deſinunt.
Cheyne de infirm. ſanit. tuendâ.



MONSPELII,
Apud AUGUSTINUM-FRANCISCUM ROCHARD, Regis & Univerſitatis Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXXV.



TENTAMEN MEDICUM
DE
ASCITE.

PRæternaturalem fluidi cujuſcumque, in quâdam corporis parte collectionem, hydropem vocant authores. Dividitur in univerſalem, & particularem. In univerſali, totum corpus, in particulari vero, unica pars aquis occupatur; nempè cavitates naturales, cerebrum, thorax, abdomen, uterus, ovaria, ſcrotum; undè hydrops capitis, ſeu hydrocephalus, hydrops pectoris, uteri, ſcroti, &c. Vide Noſologiam D. *De Sauvages*. De Aſcite tantùm hic agere nobis eſt animus.

Aſcites rectè definitur, tumor abdominis, à fluido quocumque in illius cavitate contento, originem ducens. Poteſt autem colligi fluidum iſtud, vel in ſuperficie viſcerum, undè aſcites propriè dictus, vel in ſacco quodam particulari, undè hydrops ſaccatus, gallicè hydropiſie *Enkiſtée*.

Multis à cauſis, originem ſibi vindicat aſcites, quas in generales & particulares dividi neceſſum ducimus. Sanguinis & ſolidorum debilitas, cauſas generales, obſtructiones & ſcirrhi viſcerum &c., cauſas particulares ponunt.

Debilitatur ſanguis nimio alimentorum refrigerantium uſu, nimiis evacuationibus, nimioque potu, tandem nimiâ humiditate quâvis de causâ productâ, undè temperamento frigido, & humido donati, debiles & præſertim mulieres iſto laborant affectu. 1°. Quod debiliori

corporis adversùs externas, internas-ve insalubres causas renixu pollent. 2°. Pessimo more ventrem thoracibus præcipuè durioribus ac rigidioribus comprimendi, sed nimiis evacuationibus præsertim sanguineis, produci valet ascites; videre est apud *Riverium* obs. 15. p. 556. ascitem à nimio sanguinis vomitu productum, à frequentioribus & diuturnioribus narium hemorrhagiis; à mictu cruento. *Schenkius* obs. lib. 3°. de hydrope. Eadem & similia videas exempla, apud *Lister* exercit. medic. de hydrope. His calculum addit copiosior aquæ frigidæ potatio, cerevisiæ vini &c. Vidit Cl. *De Haën* ascitem & alios hydropes, à liquorum spirituosorum potu immoderato productos. Ab ictu, in hypocondriis ortum duxit ascites. *Mead præcept. & monit.* à polypis ventriculorum cordis, ab ipsiusmet valvulis ossificatis. *Sepulchretum Anatom. de Bonet.* Tunc temporis fit hydrops, ab impeditâ circulatione, & motu cordis; ut probatur experientiâ sequenti, ligatâ magnâ arteriâ seu venâ cavâ canis, tumefit sanguis, ista vasa maximè distendit, fluidum seu serositas sub formâ vaporum, anteà defluens, nunc sensibilitèr in cavitates depluit, & diversò pro varietate locorum, hydropi ortum præbet. Omnia ergo quæ libero sanguinis transitui nocent, asciti ansam præbere valent. Mentio est apud *Slevoogt* duorum hominum ascite correptorum, à ligaturis abdomen fortiùs astringentibus oriundo, videntur non raro mulieres quæ post partum citiùs aeri frigido, humidoque sese exponentes, tali morbo obsidentur.

Febribus continuis, acutis, intermittentibus, præsertìm quartanis, ob intempestivum nimiumque kinæ-kinæ usum, ictero, cachochimiæ, morbis chronicis, & exanthematicis, scabiei retropulsæ &c. succedit ascites. Vide Nosologiam D. *de Sauvages*, vidit Cl. *De Haën* mulierem quæ post febrem diuturnam, menstruis carens ascite laboravit. Plurima istius modi, apud authores videnda dantur exempla.

Causas inter particulares, primas tenent, viscerum obstructiones & scirrhi, præcipuè verò hepatis, lienisque; constat etenim hæc sæpiùs affici, legere est apud *De Haën* quamplurimorum hydropicorum historiam, quorum obstructum & scirrhosum hepar sicùt & lien, post obitum videbantur. Vide *Riverium*, obs. sextâ & decimâ... Noscitur autem obsttructum hepar, pallore vultûs, segnitie & debilitate, gravitate in hypocondrio dextro, spiritu difficili præsertìm, si concitatiori æger ambulet cursu, ex eo quod amplius jecur diaphragmatis motui nocet, pulsu inæquali, pondere in latere cui innititur ægrotans, illi persimilis quod percipiunt cibis impleti. Noscitur scirrho laborare, jecur, duritie & renitentiâ, in dextro hypocondrio, difficiliori in latus sinistrum decubitu, ob compressum ventriculum. Iisdem ferè signis noscetur obstructum, seu scirrhosum lien, in obstructo gravitas, & in scirrhoso durities, & renitentia in sinistro hypocondrio percipiuntur.

obſtructione ſeu ſcirrhis affecta alia viſcera, ſicuti ventriculus, renes, meſenterium, aſciti ortum præbere gaudent, quod invictè probant aperta cadavera à D. *De Haën* vide Rat. Med. Sed ab affectis hepate, liene, aut aliis viſceribus non omnis, originem trahit aſcites, nam non mirùm inquit *Scherbius* referente *Morganio*, viſcera gangræna obſeſſa poſt mortem reperiri, dum tractu temporis id in omnibus hydropicis, ſit conſpicuum.

Faciliùs confirmatus, quam incipiens dignoſcitur aſcites. Aliis enim incipiens, aliis confirmatus ſtipatur ſignis. Incipit malum cum torpore, gravitate, ad motum impotentiâ, ſensìm creſcit abdomen, adeſt ſpiritus ſolito difficilior, ædematoſus eſt pedum tumor; ſub veſperam creſcens, manè verò evaneſcens; & in faciem diffuſus, palpebras potiſſimùm manumque alterutram in quâ decubuit æger occupat, urina paulatim minuens fuſca eſt, ſubrubra, lixivioſa &c. in confirmato, verò adeſt moles abdominis grandior; vidit Celeberrimus *De Haen* abdomen adeo aquis diſtentum, ut ad media uſquè femora deſcenderet. Vidit D. *Savary* mulierem hydrope laborantem, cujus abdomen, novem pedes & ultra circuitu ſuperabat: quinque verò pedibus orificium ventriculi, ab oſſibus innominatis diſtabat. Tumor illius mollior ac latior, qui per latera compreſſus, aquarum illius in cavitate contentarum, fluctuationem percipi ſinit. Sæpè ſæpius paritèr ab ægro in alterutrum latus converſo, velut fluctuantis aquæ murmur percipitur, difficilem ſpiritum trahit, ut ſæpè erecto trunco in lecto jacere cogatur, moleſtâ urgetur tuſſi, quæ tuſſis non tantùm à fluido in abdomine contento, ſed adhùc à viſceribus ſuâ de ſede repulſis originem habere gaudet; legere eſt apud *Monro*, in notatis D. *Savary*, hiſtoriam mulieris, à ſeptèm retrò annis hydrope correptæ, cujus apertum cadaver, oſtendit, viſcus nullum, ſi veſicam excipias, ſuum occupare locum, ſed ſursùm cuncta repulſa, diaphragma ità prementia, ut ne ſuffocaretur ægra, in periculum ſæpe ſæpiùs fuerat; his calculum addit alvus ſicca conſtipata, urina, lateritia, ſitis intenſa, & in dies creſcens &c.

Diſtinguitur aſcites, ab anaſarcâ, ab hydrope ſaccato à tympanite, à graviditate, ab hydrope uteri &c.

1°. Ab Anaſarcâ differt aſcites, ex eo quod in anaſarcâ totum corpus, in aſcite verò abdomen tantùm aquis occupatur.

2°. Ab hydrope ſaccato, hic ſacco quodam particulari, incluſum, aſcites verò totum per abdomen fluctuans habet fluidum. In hydrope ſaccato adeſt tumor circumſcriptus, durior & renitentior, fluctuationeque carens, ſaltem ſenſili; fatendum tamèn ſentiri poſſe fluctuans fluidum, ut refertur ab authoribus inter quos Celeberrimus *De Haen*, & ideo cyſticum hydropem, pro aſcite, ſalutari poſſe; fluctuationem

percepiſſe ratus iſdem Cl. Auctor, paracentheſim inſtituit apud mulierem, ſed qui fluctuare, illi videbatur locus, verus ſaccus fuit, humore glutinoſo, & tenaci plenus. In aſcite ſæpè ſæpiùs inodorum & limpidum, in hydrope vero ſaccato, fuſcum glutinoſum, & maximè fœtens educitur fluidum, aliquotiès tanta acrimoniâ & putriditate donatum ut nunc diaphragma corroſum perforaſſe, & eoſdem ac vapores peſtilentiales effectus, habuiſſe conſtet; legere datur in Tranſ. Philoſ. n°. 454 ſect. 4. Chirurgum quemdam aquis aſcitici, paracentheſi eductis, puſtulis malignis in utrâque manu laboraſſe.

Dum ſpectant oculi læſos læduntur & ipſi,
Multaque corporibus tranſitione nocent.

Hic roſeo genarum colore, vultùs pedumque naturali habitu, ille verò, partium ſuperiorum macie, & inferiorum inflatione ſtipatur; quæ tamen inflatio à cunctis tanquam pathognomonicum non habetur ſignum, videmus etenim mulieres prægnantes, & aliâ quâvis de causâ catamæniorum ſuppreſſione laborantes, haud raro eodem donari ſigno, videntur & etiam ſenes habitu corporis pleniori præditos, diuturnum poſt morbum tumore ſurarum hydropicorum more corripi, quin tamen ab eo incommodum ferant. Lento hydrops ſaccatus, aſcites verò celeri pede, ſua percurrit tempora, rupto ſacco, poteſt hydrops ſaccatus, verum in aſcitem mutari, ut aliquandò obſervandum venit.

3°. A tympanite differt aſcites, hic ab aquis ille vero ab aere, flatibus, materiâ mucosâ ſtercoreâ ventriculum & inteſtina replente, originem ducit. Ægro ſupino jacente, diſtentum & durum manet abdomen, inſtar tympani ſonum edit, abeſt fluctuatio, quâ in explorandâ, decepti Celeb. *De Haen* & *Duverney* junior fruſtrà paracentheſim inſtituiſſe fatentur, de complicato, tympanite cùm aſcite, erit ſuſpicio, ſi ſignis ſuprà recenſitis jungatur pedum ædema &c.

4°. Ab hydrope uteri diſtinguitur aſcites, tumore fundum hypogaſtrii occupante, in aſcite verò totum tumefit abdomen, catamæniorum ſuppreſſione, ſæpè ſæpiùs afficiciuntur uteri hydrope laborantes, vidit *MARCELLUS DONATUS* mulierem iſtius prædam morbi, regulari menſium fluxu donatam, ſed à vaginâ tunc temporis veniſſe ſanguinem obſervavit. *Vid. Aſtrucium mal. des femmes.* Fluctuationem, percuſſo abdomine exhibens hydrops uteri, non raro mentitur aſcitem.

5°. A graviditate differt aſcites; macileſcunt aſciticorum partes ſuperiores, gravidarum verò tumefiunt pectus & mammæ; adeſt lac, infrà umbilicum ſedem habet tumor, acuminatus faſtigium atque emi-

nentiam præ ſe ferens; mollis tumor aſciticus facilè prementi digito cedit; in graviditate verò renitentior & fluctuatione carens, tactu percipitur; fœtus tandèm ſe præbet commotio; tertio ſaltem aut quarrto menſe, meliùs ſe habent prægnantes; aſcites autem, quo ulteriùs progreditur, eo majoribus ſtipatur incommodis. Non negandum tamèn adeſſe caſus, præcipuè ſecundo tertio-ve menſe, in quibus decipi poſſunt Medici, & graviditatem pro aſcite ſalutare; ſic Clariſſ. D. *De Haen* graviditatem à celebrioribus in arte viris, eo uſque tractatam vidit, donec in lucem prodiret vivus hydrops. Vid. Rat. med.

Mentio eſt apud authores, de hydrope inter peritonei laminas ſedem habente, & ſæpe ſæpiùs verum aſcitem mentiente, ſed attendatur ad dolorem obtuſum, ad levem tenſionem initio morbi, ab ægro perceptam, eumdem tumor & aquæ ſervant ſitum, in aſcite vero ſedem mutant & ad decliviora decurrunt; faciliorem quam in aſcite ſpiritum ducunt ægri, ſive ambulantes, ſive aſcendentes, minori ſiti & ciborum faſtidio detenti, meliori vultûs habitu pollent, major adeſt urinarum excretio; attendatur etenim ad urinas neceſſum ducimus; ſi naturali copiâ, hydropem ſaccatum, ſi minori excernantur, aſcitem adeſſe credere eſt. Pariunt mulieres peritonæi hydrope laborantes, majori quam in aſcite, irregulari tamèn menſium fluxu, gaudent, diu innoxiè, vitam agunt, legitur apud *Monro* hiſtoria mulieris ob catamæniorum ſuppreſſionem, tali hydrope laborantis, quæ ſeptèm per annos monſtroſè inflato abdomine, pondere tantùm aquarum querebatur, aperto cadavere centùm & ultrà aquarum libræ inter peritonæi laminas, apparuere; talia videas exempla apud *De Haen*, apud *Mead.* præcept. & monit.

In aſcitis prognoſi inſtituendâ, attendatur ad cauſas, ad partes affectas, ad ſymptomata, ad morbi diuturnitatem ad ætatem, ad vires & ægrorum idioſincraſiam.

Quoad cauſas, an à generali, an verò particulari, ortum ducat aſcites diligentèr obſervandum, ſi à generali periculoſus, ſi à particulari eò periculoſior quod laborant viſcera &c.

Eò curatu difficilior aſcites, quo inveteratus, in inveterato ob nimiam aquæ incubationem, inflammatione ſcirrhis, & putriditate non rarò obſidentur viſcera, Vid. Sepulchr. Anat. *Bonet*, & Rat. Med. D. *De Haen*; & juxta *Hyppocratem* ſanis viſceribus aut ſaltem à graviori immunibus affectu, polleant ab hydrope ſervandi. Ideo pariter ut plurimùm artis præſidia contemnit aſcites, quod ignorentur ejus principia, quod morbis chronicis aut acutis ſuccedat, juxtà illud medicinæ parentis effatum; *hydrops morbo acuto ſuperveniens, malus, neque enìm ſedat febrem ſed dolorem, admodùm infert ac mortem.* Incipiente hydrope, alvi profluvium ſine apepſiâ ſeu cruditate proveniens malum

ſolvit, in inveterato vero eo pejoris eſt ominis quod ob morbi diuturnitatem frangantur vires ; corruptione aut ſcirrhis laboret hepar, lien, aut alia viſcera, & juxtà *Galenum* qui cum ſcirrho hepatis alvi fluxu corripiuntur, citiſſimè moriuntur. Ad extrema paritèr ventum eſt, ubi mala magnaque ulcera, in ore, gingivis, ſubnata videntur, ubi ſub infirmis viribus ingenti dypſnœæ jungitur diarrhæa, ſic enim loquitur Avicena *conſtrictio anhelitus, & ſolutio ventris in tribus diebus mortem ſignificant.*

Omnis hydrops periculoſus ſed eò periculoſior quò nobilius afficitur viſcus, ſic aſcites ab obſtructo hepate, majori, quam ab obſtructo liene, donatur periculo : pauciſſima, & nulla ut ita dicam, ſalutis ſpes affulget ſi ab inflammato ſeu ſcirrhoſo ventriculo originem habeat aſcites. Hydropem ventriculi aliquandò mentitur aſcites ; videre eſt apud *Blankart* hiſtoriam hydropici paracentheſim paſſi, cujus apertum cadaver oſtendit ventriculum, ulnam magnitudine ſuperantem, ita ut ſectio quæ puncto abdomine, aqueas ferè centùm libras eduxerat, reperiretur eam ex cavo eduxiſſe ſtomacho.

Auxiliis infra aſſignandis aliquoties fugatur incipiens, aut recens aſcites, ſi ſanis aut ſaltèm parvo obſeſſis affectu, gaudeat viſceribus æger, ſecùs, res in ambiguo verſatur.

Principiis obſta ſerò medicina paratur ;
Cum mala per longas invaluere moras.

In eo ergò jacet ſalutis ſpes, hydropé laborantium, quod bonis viſceribus, ſimùl & viribus polleant. Adultus ſæpiùs quàm adoleſcens, aut ætate provectus, vir, quam mulier, aſcite liberatur. Viribus majoribus gaudens, fortioribus catharticis, ſæpè aſcite debellandæ omninò neceſſariis, innoxiè uti poteſt ; dum adoleſcentes ſenes aut mulieres, remediis etſi levibus malè habentur.

De ſalute adhuc ſperandum, ſi liberum ſpiritum ducat æger, ſi non tuſſiat, ſi externis partibus non ſit colliquefactus, ſi toto caleat corpore, ſi non ſitiat, ſi vero à cathartico dato magis intumeſcat abdomen, & velut tympaniticum evadat, mors oſtia pulſat.

Aliquando à remiſſis ſymptomatis peſſimum ; ſic v. g. ſitis, ante mortem remittitur, quià ſentiendi vis jam hebeſcit.

Sicuti de diagnoſi ita de prognoſi certiorem faciunt urinæ medicum, quo minor eorum copia eo deterior morbus, quia ut plurimùm ideò materia potulenta in ventrem confluit, ex eo quod inflammatione aut ſcirrhis corripiuntur renes, & res tùnc temporis in Anguſtiſſimo eſt ; vide apud *Sepulchret. Anatom. Bonet* Obſerv. *Plateri* & *Dodonæi*, aſcitis ſalvo hepate, & liene, ab urinâ facti,

effluente ex rene, aut ex veficâ ulceratione perforatâ : ut bonis ægri rebus fiat qaædam ferofitatis evacuatio minui fimul debet abdominis Moles, fin autem exhauriantur vires, pauciffima falutis fpes affulget. Si à perruptis, aut corrofis ureteribus, vel veficâ originem habeat afcites, lethalis; tandem à quâcumque causâ. Procedat urinæ paucitas in afcite, maximè fi febri jungatur peffima, ut ait divinus medicinæ parens, in coacis, *hydropico febriculofo, urina, pauca, turbataque, lethalis, contrà vero fi augeatur bene fperandum.* Si ergò humor per urinas excretus, affumptum potum, copiâ fuperet, fecundæ valetudinis fpes eft, fecùs verò in angufto verfatur res. Ideo jubent authores, fingulis diebus, urinam & potum metiri. Quò magis à ftatu naturali, recedunt, & quo plures exhibent colores urinæ, eò majus adeft periculum. Paracenthefi paractâ, vomitus fequentes peffimum præbent fymptoma; ex aquarum eductarum colore, qualitate, odore, tumoris imminutione, præfagia fumas. Si citrini coloris, benè fperandum, fi purulenti, fanguinolenti, viridefcentis, odoris, putridi &c., peffimum. Minùs quàm anafarca, magis quàm hydrops faccatus, debellatu facilis eft afcites, 1°. propiùs parti affectæ applicantur remedia 2°. facilior aquarum expulfio.

Curationem afcitis aggrediens, tribus fatisfaciat medicus. 1°. Aquas in cavo abdomine contentas indè, expellat; 2°. eductis aquis, caufas, emendet, tollat » 3° fanguinis vifcerum, partiumque folidarum, debilitatem, corrigat. Educendæ funt aquæ, vel viis naturalibus, ficuti vomitu, catharfi, diurefi tranfpiratione &c., vel artificialibus nempè fcarificationibus, & paracenthefi, de quâ inferiùs. In eo conducunt emetica, quod virtute fuâ ftimulanti, folidorum ofcillatione, & fluidorum motu aucto, unà cum mutuâ vifcerum compreffione, attenuant fluida; & fic bonis ægri rebus ejiciuntur; mentio eft apud *Duverney* Mém. de l'Accad. des Sciences, 1703, mulieris afcite laborantis, quæ fruftrà cunctis fimul & paracenthefi, tentatis remediis, emeticorum ufu fuit liberata. Sed cautâ & fapienti adhibeantur manû, quamvis enim ægrotantes habitu fortiffimo, in fpecie præditos habeamus, non ideò, fortioribus emeticis, aut catharticis funt tractandi; fcifcitandum ergò priùs de eorum idiofincrafiâ, an facilè an verò difficilè vomitui pareant, & tùnc feliciùs curam aggrediemur, quot enim à fortioribus emeticis graviffima! cautiffimâ manû utantur emeticis hemorragiis obnoxii, nec-non debiles, qui fimùl afcite & afthmate afficiuntur videre eft apud *Monro* hiftoriam mulieris, quæ affumptis, in afthmatis paroxifmo, emeticis, motibus convulfivis fuit detenta, nigrefcente, vultû, & monftrosè tumefactis venis, jam deerat pulfus, & refpiratio; dum fedem mutans ægra, vomitum edidit quo fuit liberata.

Si verò danda judicemus emetica, incipiendum ſemper à levioribus, v. g. kermes minerali, ipecachuanâ &c. & tandem ad fortiora deveniendum, ſi res poſtulet, hæc ſunt turpethum minerale, tartarus ſtibiatus, vitrum antimonii pulvis algaroth.; infuſio croci metallorum, ab unciâ ſemiſſ. ad uncias duas, etiam purgatu difficillimis, à *Sydenhamo* commendatur; ſed majori donatur ſucceſſu in grandiore aſcite quam in leviculo ventris tumore, tunc enim evacuationibus per inferiora committenda venit res. Multiplici conſtat experientiâ parcâ doſi adhibita emetica evacuationes ſeroſas nunc per anum nùnc per urinas excitaſſe, repeti debent emetica pro viribus ægris.

Ut bonis ægri rebus, ſuadente *Sydenham* adhibeantur cathartica, obſervandum, in omnibus hydropicis, ſegniùs velminus potenter operantia, nocere magis quam prodeſſe, debilitèr corpus pervadunt & quod ſecùm adducere nequeunt, promoventia, ſanguinem exagitant, undè tumoris aucta moles, attendendum tamèn, ut de emeticis ſuperiùs dixi, ad ægrorum idioſincraſiam; vidit author mox laudatus, hypercatharſes, à potionibus etiam lenientibus; ſed præcæteris morbis catharſim validiſſimam expoſtulante aſcite, ne viſcera putreſcant, non à purgantibus abſtinendum, modo vires, ferant, donec omnia ex cavo abdomine fugerint fluida. Sed quotiès æger conſtitutione eſt infirmiori, diureticis res credatur, quia fortioribus & frequentiùs uſurpatis purgantibus, debilitatur corpus, juxta *Galenum*. Non ergò illos ſectemur qui omnia tentantes, debiles aliundè vires, ultrà projiciunt, atque ægros ut ita dicam ante fata necant, ſed eam in dandis applicandiſquè auxiliis prudentiam, adhibeamus, quâ viribus præprimiſque vitalibus, religioſiſſimè parcamus. Parcâ doſi adhibita, ſed diu continuata purgantia, valdè commendat Celeberrimus *Monro*, de idioſincraſiâ & viribus ægrorum, in quibus lentè opus ſuum peragunt leniora purgantia, v. g. ſenna rhabarbarum, mercurius dulcis, &c. certiores facti, ad fortiora deveniamus, primas tenent ſyrupus de rhamno cathartico, quo ſolo aſciticam curavit *Sydenham*. Elaterium potenter vires ſuas exerens in alvo conturdandâ, à granis duobus exhibitum, uſquè ad decèm & ultrà; gummi gutta &c. hydropes alia irridentes remedia, debellavit celeberrimus hujus Ludovicæi Profeſſor D. *Venel* adhibitis gummi guttæ ſeptem aut octò granis, ſali alkalino kali admixſtis; ad hæc accedunt, ſuccus ireos noſtratis recentèr extracti, ab authoribus maximè laudati, hydropico, *inquit Platerus in Obſervationibus*, cuidam propinavi, ſuccum ireos ut biberet ad uncias duas aut tres, addito melle, undè plurimùm minxit & dejecit, & poſtquam repetiiſſet, bis aut ter, detumuit venter, pedeſque, ſubſe-

derunt ficque fanatus eft. Succi ireos noftratis unciis tribus, cum mannæ unciâ femiff. rufticum afcite liberavit *Riverius*. Optimè pariter aliquando hydropem expugnat cortex interior fambuci, in aquâ & lacte fimùl decocti; poteft enim vomitionem & catharfim promovere, & ideo mirè ad hunc morbum debellandum conferre. Purgationum vice, conducunt & etiam enemata. Recipe pulpæ colochintidis drachmam unam, infunde per noctem in vini albi unciis tribus, colaturæ adde decocti inteftinorum vervecis, libram unam, olei olivarum uncias duas, falifpetræ unciam unam, aceti fortis cochlear unum, fiat enema. Si fortè validioribus emeticis, aut catharticis, nimis exagitetur corpus, aut fuperveniant, convulfiones, guttis anodynis, fyrupo papaveris rheados, diacodii &c. compefcantur.

Quoties fe præbent ægrotantes catharticis & à fortiori, emeticis uti nequeuntes; diureticis tota committatur res, his enim loquente *Mead*, minùs franguntur vires, & ut jam dixi, exhauftis viribus nocet vehemens per alvum purgatio, & quo plus humoris, ex inteftinis ejicitur, eò major ipfius copia brevì in ventrem refluit. Incertìffimæ, quidem tunc temporis, funt virtutis diuretica, etiam præftantiffima, quæ enim in hoc votis refpondent, in illo fpem fallunt, aliud igitùr atque aliud tentandum, & quæ ex his evenere bona prædicantibus magni nominis authoribus, negare nequeuntes; ad illa tanquam ad facram anchoram confugere debemus. Meliora à nobis habentur, ex falibus lixivialibus geniftæ tamarifci juniperi &c. conftantia. Legere eft apud *Mead* hiftoriam mulieris, quæ cathartica validiora, & triplicem paracenthefim paffa, afcite tandèm fuit liberata, devorato per aliquot dies manè & vefperè, pleno cochleare feminum finapis, non contuforum, decoctique fummitatum viridium geniftæ femilibrâ infuper hauftâ. Plures fanavit hydropicos D. *Savary* folo juniperi baccarum ex vino albo lixivio, & aquæ nitrofæ parti æquali mixto, eadem videas exempla apud *Lifter Tractat de Hydrope*. Lixivium, inquit, *Mathiolus*, ex vino albo & juniperi cinere paratum, quatuor aut quinquè unciarum pondere *Hauftum*, valentiffimè urinam pellit, ita ut nonnullos viderim hydropicos, hoc tantùm auxilio fanatos: allio ufus quidam rufticus, afcite laborans, copiosè minxit & brevi fanatus eft, *Burnet Foreftus*. Hydropem debellavit terrâ foliatâ tartari, Amplif. Canc. D. *Barthez*. Languefcente urinarum fecretione, cremorem tartari valdè commendat Clarf. D. *Tiffot*. Hoc bonis ægri rebus ufus eft, *Morgagni*; curam afcitis habuere mille pedes; cautiffimâ manû adhibiti à non nullis prædicantur cantharides. Noxia in genere in afciticis venæ fectio, felicitèr tamèn admittetur præprimis apud plethoricos, fi ab evacuationibus

ſuppreſſis aut viſcerum inflammatione, ortum trahat aſcites, vide *Hoffman* & ſponium, qui viginti venæ ſectionibus aſcitem ab hepatis inflammatione oriundum fugarunt, ſi ab hæmorrhoidum fluxu, cohibito, ano applicentur hyrudines neceſſum ducimus.

Sudorifera cum diureticis maritanda ſuadent nonnulli, ſed nimiam ob debilitatem magis nocet ſudor in aſcite quam prodeſt; bono tamèn omine adhibentur non raro, ſi ab ſcabie, impetigine aut aliis morbis cutaneis repercuſſis, natales habeat aſcites, ut obſervavit celeberrimus D *De Sauvages*; alii tùnc temporis inoculatione, alii verò inter quos ampliſſimus Cancellarius D. *Barthez*, veſicantibus morbum revocari volunt. Veſicante ſuris admoto, ſimùl & ſaponaceis intùs aſſumptis, hydropem nupèr debellavit, mihi amiciſſimus, Illuſt. D. MINVIELLE apud Bearnos Medicus; ſed timendum à gangrænâ, quo in caſu mirè confert theriaca, radix ſerpentariæ virginianæ, cortex peruvianus &c. ſi ab hepatis aut alterius viſceris obſtructione oriatur aſcites, remediis ipſi dicatis utendum, v. g. præparationibus ſcilliticis vino & oximelle ſcillitico, pillulis ſcilliticis Edimburgenſibus ſapone veneti &c. De aliis ſigillatim, agere noſtræ vetant diſſertatiunculæ limites.

Cibo levi, & generis durioris veſcatur æger, potum fugiat aut ſaltem non ultra detur quam ut vitam ſuſtineat, anteponatur urinam movens; multiplici conſtat experientiâ ſolâ potûs abſtinentiâ fuiſſe curatos aſciticos. Solo pane & uvis, pro potu & cibo veſcentes, non nullos vidit aſcite liberatos Illuſt. D. *Hunter* Londinenſis.

Viis naturalibus ejici negante hydropicorum aquâ, alii paracenthesim, alii ſcarificationes, cruribus & in talo fieri volunt, vide *Mead Præcept.* & *Monit. Boerhaave*, & ut *Celſi* verbis utar, incidendum quoque ſupèr talum, quatuor ferè digitis, exparte interiore eſt, quo per aliquot dies frequens humor feratur, atque ipſos tumores incidere, altis plagis oportet, concutiendumque corpus eſt, multâ geſtatione, atque ubi inductæ vulneribus cicatrices ſunt, adjiciendum exercitationibus & cibis, donèc corpus ad priſtinum ſtatum reveſtatur, *Celſe* lib. 3°. cap. 25.

Nos verò, integris viribus, & ſempèr expertis aliis medicaminibus, ad iſta confugi volumus; quotiès ad talia concurritur auxilia, vitentur pro poſſe, vaſcula ſanguifera, nervoſa tendines &c.

Paracenthesim commendant authores nonnulli, obſervationibus *Parè* ſuffulti, juxta quem celeberrimum virum, hydropicus, immiſſo in abdomen ab inimicâ manû cultro, ſanatus eſt. Idem & ſimilia videas exempla apud *Haller.*

Quamvis tamen iſtis ab authoribus ſic habeatur paracentheſis;

rariſſimè ſecundis ægri rebus adhiberi valet, quot inſtituit paracentheſes, non ſatis laudandus D. *De Haen*? Quàm pauci eo curati fuerunt auxilio? Non negandum tamèn aliquando pallians præ ſe ferre remedium, in eo quod ut ait *Celſus*, non ſanat emiſſus humor, ſed medicinæ locum facit. Volunt authores maximæ notæ, in deſperatis tantùm caſibus, & ut certa alioquì procraſtinetur pernicies adhiberi paracentheſim.

An ſimul omnis aqua, an verò partitis vicibus ſit ejicienda, adhuc ſub lite eſt. Meliùs quidèm foret omnia fluida ſimùl foras ejici, ne nimiâ aquarum incubatione putreſcant viſcera; ſed frequentiori conſtat experientiâ quam plures, tali adhibitâ medendi ratione, ſubitâ morte fuiſſe raptos, videre eſt apud *Slevoogt* hiſtoriam puellæ à decem annis hydrope laborantis, quæ paracentheſim fuit paſſa, ſimul omnes eduxit aquas chirurgus, ſed exhauſtis viribus, quatuòr poſt horis, obiit puella.

Cavendum ergò, ſuadente *Mead*, non in paracentheſi tantùm, ſed etiam in omni inciſione, in quâdam corporis, parte, aquarum educendarum causâ, factâ, ne nimis indè exhauriantur vires, eas enim æquè proſternit humor emiſſus, ac ſi tantumdèm ſanguinis effueret.

Patitis vicibus, aquas educi, & ſimùl ſervatâ proportione, non tantùm poſt paracentheſim, ſed etiàm poſt aſſumpta cathartica abdomen linteo comprimi neceſſum putamus.


Laudat clariſſ. D. *Morand*, Chirurgùm, qui paracentheſi minimè contentus latâ plagâ, ſaccum abducere tentat, ſed timeat gangrænam, in cachochimico corpore, mortis nunciam. &c.


In deſperatis quidem caſibus, curationem omni ope moliri debemus & neque animo cadere, nequè ægro ut cadat authores eſſe debemus; ſed illius vitæ noſtræque famæ conſulentes, viribus vitalibus religioſiſſimè parcamus, præthereà, noctû diûque rebus noſtris invigilans natura aliquandò ſpontè ſuâ, mirum in modum machinatur quo nos à pernicioſis morbis muniat ac tueatur, vide apud *Mead* præcept. & monit, hiſtoriam mercatoris aſcitici, cujus manè paracentheſi, erat aperiendum abdomen, ſed nocte abſorptis, ignotâ viâ, omnibus fluidis; nullâ ſe jam ampliùs egere curatione dixit ægrotans.

Non ſui curam negligat æger, paracentheſim paſſus, ne denuò eumdem im morbum ſæpiſſimè nullis remediis domandum incidens, eamdem operationem ferre cogatur, legere eſt apud Clariſſ. D. *De Haen* hiſtoriam hydropici qui ſuâ curâ neglectâ, ſelectiora incaſſùm accepit remedia, crevit ita hydrops ut, exacto à primâ paracentheſi menſe, altera, inſtitueretur ne ſuffocaretur, ſimùlque & naturâ & copiâ ma-

teriem educeret, id quod deincèps quovis mense fuit repetitum. Ex eo autem longè citius post paracenthesim quam anteâ recrescit hydrops, quod vasa, liquores, in abdomen ferentia vix contrahantur; ideo aquis jam penitùs evacuatis ad istorum vasorum, sanguinis, viscerum, partiumque solidarum debilitatem, corrigendam, properandum, ut novus aquarum provectus præcaveri possit, quod calefacientium corroborantium, & præprimis, astringente virtute, donatorum obtinebitur, quia non tantùm præternaturales sistunt effluxus, fluidorum, astringentia; sed etiam atoniam, & fibrarum relaxationem tollentia, sanguinem corroborant, meliora & à *Sydenhamo* commendatiora, sunt vinum generosum moderarè sumptum, vinum canarinum, vinum absinthites; magnis kinam-kinam laùdibus effert D.*Stork*; utatur æger, infuso amaro rad. raphan, rustici fol. cochlear, absinthit, cen. min. & genistæ. Conducunt & etiam martialia cibis & jusculis corroborantibus utatur æger, æquo curru-ve aerem, mutet. &c. &c.

FINIS.





DISPUTATURI.

R. R. D. D. PROFESSORES REGII.

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex Adjunctus.*

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.

R. D. CAROLUS LE ROY.

R. D. GASPAR-JOANNES RENÉ.

R. D. ANTONIUS GOUAN.

R. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus Professor Emeritus.*